
EXCELL·P·M·IULIUS·ANT·ROBOREDO·ORD·SER


DONEC ELVCESCAT DIES
ISAIAS
DANIE
IEREM

LAUDATIO
JULII ANTONII ROBOREDI

ORDINIS SERV. MARIÆ

HABITA IN COLLEGIO THEOLOGORUM
UNIVERSITATIS FLORENTINAE

DIE XXV. SEPTEMB. MDCCCV.

AB EXCELL. P. MAG.

CONSTANTINO BATTINI

EJUSD. ORD. ET UNIVERSITATIS
PRO-DECANO.

FLORENTIÆ 1805.

Impensis sup. scr. Collegii
TYPIS OLIM ALBIZZINIANIS
Cum Adprobatione.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. ANTONIO MARTINI

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

S. R. IMPERII PRINCIPI

ET PRÆSIDI PERPETUO

FLORENTINÆ UNIVERSITATIS

&c. &c.

CUm Florentinæ Universitatis Theologorum Collegium hoc benemeriti olim Collegæ sui Elogium typis mandandum decreverit; cumque Te, Archipræsul Vigilantissime, gaudeat & Præsidem & Patronum habere, Tuæ Amplitudini illud sistere præoptabat, ut fausto Nomine Tuo in-

signitum omnium gratiam Collegio conciliaret, & Collegium devoti animi erga Te palam testimonium ostenderet. Si enim, ex quo hæc florentissima Academia incepit, sub Archiepiscopis Præsidibus suis ubique terrarum inclaruit & adaucta est, at sub Patrocinio Tuo, qui illius gubernaculum tenes & summa prudentia regis, magis semper ac magis florere conspicitur, & singularibus ornamentis decorari. Hæc exordium sumpserat Clementis VI. Pont. Max. solemni Decreto Anno MCCCXLVIII Avenione signato, quo Angelus Acciajolius tunc Florentinus Antistes Primus

ejus Præses creatus est, cujus auctoritas & privilegia in Successores transferebantur. Sed neque Imperialia Diplomata defuerunt, quibus Carolus IV. opera Florentini Præsulis Petri Corsinii Anno MCCCLXIV. hanc Academiam ornatam voluit; quin & aliis prærogativis a Bonifacio IX. Eugenio IV. Leone X. & Benedicto XIII. adeo aucta & amplificata est, ut cum illustrioribus Christiani Orbis Academiis hæc nostra jure meritoque comparari queat. Quod si Præsides omnes, inter quos eminent Julius Medices postea Clemens VII. Pont. Max. Franciscus Nerlius dein Sanctæ Ec-

clesiæ Romanæ Cardinalis, Thomas Bonaventura ex Comitibus de Gherardescha, & Joseph Maria Martellius Antecessores Tui, summa cura Collegium hoc nostrum decorare & extollere studuerunt, Tu, Optime Archipræsul, Sacrum hunc Senatum novis locupletare voluisti, & peculiaribus beneficiis. Supersedemus a cæteris tuis laudibus percensendis, quas tota posteritas enarrabit; sed pro incremento & splendore hujus Collegii tui enixè rogamus, ut quod incepisti opus libenter perficias, atque ut singulorum Collegarum grates & vota pro summa tua benevolentia benignus excipias.

LAUDATIO
JULII ANTONII ROBOREDI
ORDINIS SERV. MARIÆ.

MAgnum ingenium Julii Antonii Roboredi, magnumque virtutum omnium studium, tum præclara, & digna recordatione nostra, quæ ad splendorem & decus Collegii hujus amplissimi gesta ab Eo recensentur, ita animum alliciunt meum, devinciuntque, Excell. Patres, spectatissimi Auditores quotquot adestis, ut me temperare nequiverim ab egregii Viri hujus laudibus enarrandis (1). In hoc itaque initio dicendi peto a Vobis, Optimi Patres, ne me ad hunc Virum exornandum existimare velitis partium studio abreptum, quasi tot posthabitis Theologis summis, ac præstantissimis, qui elapsis annis de hac nostra Universitate benè meriti floruerunt, hunc

præ

præ cæteris laudandum selegerim, quod ejusdem Instituti professor fuerit, cui & ego Deo opitulante conjungor, ita ut mei Ordinis splendori potius, quam Collegii ornamento consulere cogitaverim. Ast si illius promerita, si beneficia singularia, quibus Collegium nostrum per Eum cumulatum est jam sumus obliti, spero fore, humanissimi Auditores, ut cum perpauca recitavero, quæ brevi calamo de tanto Viro perstrinxi, in hanc sententiam singuli conveniamus, hoc est, neminem reperiri facile posse, cui palmam concedat. Id vero me consecuturum confido, si prætermissis iis, quæ in Ordine Religiosorum Illum magnum effecerunt, ea tantummodo attigero, quæ magnum & optimè meritum tum erga societatem, tum erga Collegium hoc nostrum Eundem ostendunt. Favete interim linguis, & cum eximii hujus Collegæ nostri laudes taciti audiverimus, omnium animi ad paria elogia promerenda incalescant.

Julius Antonius Maria Roboredus *el Vasconcellos* (2) ingenuis clarisque natalibus, Petro Eduardo *Ferran de Roboredo* nobili Lusitano

Pa-

Patre, Anno MDCLXVI. Mense Januario Ulyssipone ortus est: sed domicilio, electione, & jure Civitatis Florentinus est meritò habendus. Cum vix enim pueritiam prætergressus in magnam spem egregiæ indolis ac singularis ingenii eniteret, ab Equite Didaco Lopezio consobrino suo, Viro doctissimo, non solum in peculiarem tutelam receptus est, sed & diligenti cura in pietate & literis erudiebatur. Contigit eo tempore ut Lopezius ad munus in Pisana Academia Jus Civile docendi a Cosmo III. Magno Etruriæ Duce (3) officiosis Epistolis invitatus, meditaretur a Lusitania discedere; & ne illum remoraretur adolescentuli suscepta institutio, eundem censet itineris & vitæ comitem adducendum. Ætatis annum decimum tertium agebat Roboredus, cum Autumno Anni MDCLXXIX. Ulyssipone solvens appulit ad Etruriæ littora. Ac primum Florentiam ad Magnum Ducem salutandum cum Lopezio venerat, dein Pisas profectus, ibi pietatis officiis non minus quam studiis literarum operam dabat. Versabantur Pisis eo tempore duo Collegæ nostri insignes Joannes Franci-

ciscus Poggius, & Placidus Maria Bonfrizerius ambo illustres Viri Ordinis Servorum Mariæ (3): quorum primus in illa percelebri Universitate Sacram Theologiam tradebat, vicariam summa cum laude tunc operam navans consodali suo Julio Arrighetto ad Ordinis Præfecturam assumpto: alter verò Academiam caussa studiorum frequentabat, in qua juvenis ingeniosus Lectoris, ut vocant, extraordinarii munus sollerter implebat. Cum his Adolescentulum nostrum facile consuetudinem inivisse adjutore Lopezio Juris jam Professore, ipsemet Bonfrizerius memoriæ mandavit; atque hinc credere par est, natum illi desiderium idem Institutum amplectendi, cujus Templum tanta religione frequentatum Florentiæ veneraturus adierat.

Ergo Roboredus ad veram ac cœlestem Sapientiam juvenilem animum erigens, de religioso vitæ instituto capessendo deliberare sedula mente incipiebat; atque tum ob reverentiam, quam erga Cœlorum Reginam profitebatur, tum observantiæ caussa erga Julium Arrighettum alterum Collegam nostrum meritissimum cujus sanctimoniæ fama erat in pretio apud omnes,

eju-

ejusdem Ordinis Servorum Mariæ, ac nominis ejusdem compos fieri cupiebat & postulabat. Nec ætatis impedimentum obstare potuit, quin laudabile propositum quamprimum impleret. Facultate enim ab Apostolica Sede impetrata, anno ætatis XIV. cum dimidio, Didaco Lopezio comitante Florentiam accedit, & hujus Cœnobii Divæ Annuntiatæ societatem Urbe admirante, & Domus Regiæ Principibus, quibus satis notus erat, plaudentibus ingreditur; atque anno sui in Etruriam adventus nondum exacto, Mense Septembri, Anni scilicet MDCLXXX. totius Monasterii gratulatione sacris vestibus indutus est. In Tyrocinio generosæ & egregiæ indolis Adolescens & ad fovendam pietatem & ad studia excolenda adeo omnibus in exemplo erat, ut a suis magistris plenissimo testimonio decoraretur. Emenso tyrocinii curriculo, & anno ætatis decimosexto juxta Ecclesiæ Decreta completo, optata dies tandem illuxit, qua Dei famulatui totum se Religiosa Professione dicavit. Fuit hæc dies Purificationi Virginis Deiparæ sacra, secunda Februarii Anni juxta communem stylum

lum MDCLXXXII. qua & se Virgini, & Virginem se illi tradidisse credendum est, cum totus ipsius vitæ cursus testetur, se Dei gloriæ & communi bono penitus dedidisse (5).

Hinc Regularem vix Professionem emiserat, cum spectata ipsius peritia, juvenili ætate minime obsistente, annum quippe agebat XVII. onus illi demandatum est humaniores literas in hujus Conventus Tyrocinio edocendi; & cum interea etruscum idioma diligenter didicisset, nonnullis opusculis & epigrammatibus data opportunitate etiam typis evulgatis, latinè & etruscè edoctum se egregiè probavit. At magnum illius ingenium & ad scientias omnes comparatum ad altiora ipsum vocabat. Philosophicis itaque ac Theologicis disciplinis sedulam navabat operam, quibus accuratissimum Sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, ac melioris notæ Interpretum studium adjungere nitebatur. Nil verò hic addemus de varia & multiplici eruditione sacra & profana, veteri, ac recentiori, cujus segetem penè immensam undecumque colligebat, & cujus copia memoriæ thesaurum locupletabat; quibus

mer-

mercibus opportunè depromptis sive in publicis sive in privatis colloquiis singulariter eminebat.

At ipsi curæ erat Linguarum orientalium peritiam sibi potissimum comparare, quas maximè necessarias ad Literarum Divinarum interpretationem intelligebat. Hæc linguarum Græcæ præsertim &. Ebraicæ studia in hoc Monasterio sedulò excolebantur; atque hinc Roboredus tantam earundem scientiam facillimè consequi potuit, quantam in evulgatis postea voluminibus se adeptum fuisse ostendit. Interim Magister studii in domestico Lyceo factus est, cujus officii partes erant, tradere Logices Institutiones. Hoc gradu distinctus Tiphernum perrexit Mense Majo anni MDCLXXXIX. ut provincialia Ordinis Comitia, quæ ibi celebrabantur, publica instituta disputatione, decoraret. Identidem verò suæ dexteritatis, suique in scientiis progressus palam testimonia dabat. Hinc factum est ut disertus & eloquens ac præclaris doctrinis exornatus ab omnibus haberetur, atque, ut testes coævi memoriæ prodiderunt, adhuc juvenis famam viri eruditissimi sit consecutus, adeo ut omnium ordinum literati homi-

mi-

mines sollicitè ipsius colloquia & consuetudinem exoptarent.

In his studiis sibi jucundissimis adolescentiam transigebat juvenis egregiæ indolis ac discendi amantissimus, cum annum vix attingens ætatis XXIV. ad Sacerdotium assumptus est, simulque Cosmi III. Etruriæ Principis providentia ad munia magni momenti designatus. Fuit enim anno MDCXC. ætatis Roboredi XXV. cum a Regia Celsitudine Sacræ Theologiæ Professor in Pisana Universitate creatus est ut Petri Antonii Rossii primum, dein Jo. Francisci Poggii vicibus fungeretur, ambo splendidissima hujus Almi Collegii lumina, qui ad suprema officia in eodem Ordine Servorum Mariæ obeunda delecti fuerant (6). Quantum in hoc stadio Theologico percurrendo enituerit, & quantum per annos duodecim, quibus illi Cathedræ præfuit, longè progressus sit, tantorum illustrium Professorum plaudente theatro, ac tantam in juvenili adhuc ætate sapientiam admirante, publica eorumdem temporum monumenta testantur, ac omnium tristitia & mœror, cum ad Ordinis Provinciam, ut vocant,

re-

regendam assumptus Pisanum Lyceum deserere coactus est, sibi ex eadem Familia Aloysio Garbio succedente, altero hujus nostri Collegii ornamento insigni (7).

Sed antequam progrediamur ulterius, æquum est, ut initia ipsius in hac nostra Universitate enarremus. Hæc anno sequenti contigerunt, quo fuerat ad Pisanam Cathedram moderandam missus; cum æstivo tempore Florentiam reversus, Mense Augusto, Patribus plaudentibus cunctis in hunc amplissimum Cœtum cooptatus est. Nec mora, Mense Octobri anni ejusdem MDCXCI. inito Conventu Patrum ad novum Universitatis Decanum eligendum, ipsi licet omnium juniori hanc splendidam dignitatem plenis calculis concessere; atque proximo adveniente anno, hac ipsamet die XXV. Septembris, & in hac eadem Aula, in qua meritas illius laudes modò audire dignamini, Ornatissimi Patres, solemnem habuit de Theologicis disciplinis concertationem tanta vi, tantaque dicendi copia, ac tanta facundia & eruditione ornatam, ut omnes sibi invicem gratularentur, Collegium hoc adeo eximiæ commen-

mendationis juvenem acquisivisse. Ne verò aliquid abesset, quo hanc celebritatem, ad quam Patres circiter sexaginta convenerant, splendidiorem, jucundioremque redderet, exemplaria Operis summo ingenio ab ipso compositi & Florentiæ eodem anno impressi singulis distribuit, & elargitus est. Illud autem Opus hunc titulum præseferebat: *Idea Theologica dogmatica historica scholastica moralis quinque capitibus expressa &c. a Fr. Julio Antonio M. Roboredo Servita Serenissimi & Revmi. Cardinalis Francisci Mariæ Medices Theologo, Pisis Sacræ Theologiæ Publico Professore, Sancti Officii Consultore, ac Florentinæ Universitatis Decano*. Hæc enim munia omnia tunc jam gerebat Roboredus, quæque sicut in fronte libri habentur recensere voluimus, ut appareat, quanti virum egregium singuli facerent. Opus autem verè aureum, licet lucubratum juvenili ætate, Serenissimo Principi Jo. Gastono dicaverat, quem alloquens in Nuncupatoria Epistola: *Idea*, inquit, *principis Scientiarum, Optimorum Principum ideæ debebatur: Exprimit illa quid Theologo Fidei propugnatori præcipue considerandum sit*.

Verum, cum Cardinalis Francisci Medicees meminerimus, liceat animadvertere, Cardinalem Principem non modo Roboredum nostrum sibi in Theologum assumendo honorificentissimis literis honestasse, sed & in illis eundem præclaris laudationibus distinxisse. In his enim, ut ex apographo videre est, quod oculis omnium subjicimus, non modo nobilitate generis, sed & singulari ingenio præditum, ac optimis disciplinis excultum Roboredum nostrum fatetur, quem simul moribus ornatissimum, & religiosæ vitæ deditissimum prædicat. Hæc autem testimonia quanto minus assentationis insimulari queunt, tanto magis merita ipsius præclara confirmant (8).

Vos hinc probè intelligitis, Patres Ornatissimi, nihil in Roboredo laudando hucusque per amplificationem finxisse, quin nos potius ab æquis cæteroquin commendationibus temperasse. Sed & prætereundum non est, a perillustri Melitensium sive Hierosolymorum Equitum Ordine progressu temporis pari honore insignitum fuisse, qui Roboredum & ipse suum Theologum nuncupavit.

Etsi verò tot Roboredus gravissimis mancipatus negotiis minimè inhonesto otio torperet, cum tamen ipsius ingenium pluribus adhuc supplere natum esset, Regia Celsitudo Cosmi III. publicæ utilitati prospiciens de Roboredo, postquam a Pisana Universitate discesserat, in Professorem Sacrarum Literarum ac Theologiæ Controversiarum in Florentina Academia designando sedulò cogitabat. Hoc autem munus demandatum illi est Mense Octobri anni MDCCV. atque erudita & eleganti Oratione prælectiones Biblicas auspicatus, has ingenti Ecclesiasticæ potissimum Juventutis utilitate per annos plurimos ad vitæ usque terminum prosecutus est. Quis verò hìc percensere posset, quot egregios viros ad Clericalem militiam suis Institutionibus erudierit, quotque ad Parœcias regendas, & ad alia exercenda Ecclesiastica Officia aptos effecerit, qui & moribus ornati & doctrina exculti ab omnibus habebantur? Sed maximè Collegium hoc Roboredi laboribus plurimum obstrictum est, qui ex frequentissimo suo Lyceo multos ac præstantes discipulos eidem suppeditavit, per quos illius nomen ac celebritas admo-

modum adaucta est. Quæ quidem omnia ex ejus ætatis monumentis habemus, quæque fusius persequeremur, nisi tanti Viri erga Universitatem merita denuo forent attingenda. Modò illius præclara volumina, quæ ad commune commodum typis mandavit, opus est recensere.

Ea siquidem est summorum ac eruditissimorum Virorum consuetudo, ut non tantum voce, quam paucis semper audire datum est: sed ut novis potissimum editis libris curent Societati prodesse. Magnum erat publicæ hujus utilitatis Roboredi nostri desiderium, qui optimè noverat, dotes animi, quasi tot auri talenta a Bonorum omnium Largitore sibi collata, non in terram, ut servi pigri solent, fodiendas esse; sed, ut probi nummularii consueverunt, rectè instituto commercio, lucrum inde esse capiendum. Hinc gravibus licet, plurimisque distentus curis tum in implendis sui Instituti officiis, tum in Cathedris moderandis, tum in negotiis non paucis sive in Archiepiscopali Curia, sive in Tribunali Sancti Officii gerendis, non tamen ab eruditis, diligentissimisque lucubrationibus elaborandis censuit

suit penitus abstinere. Anno ergo MDCCXV. primum ex majoribus suis Operibus Florentiæ hoc titulo insignitum vulgavit: *Dissertationes ad Præcepta Primæ Tabulæ Regiæ Celsitudini Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis dicatæ a P. Mag. Julio Antonio Roboredo Ordinis Servorum B. Mariæ V. in Universitate Florentina sacræ Scripturæ & Controversiarum Professore*. Opus ab amicis diu expectatum ac omnigena eruditione græca præsertim & ebraica distinctum, de quo Ephemerides Venetæ, ut de sequentibus, recensionem merita cum laude fecere (9). Dissertationes tres ac viginti hoc Volumen complectitur, argumenta certè non obvia, ac pulcra & jucunda pertractantes, ex quibus magnam quisque utilitatem ac doctrinarum copiam possit haurire.

Alterum ejusdem Opus eximium & duobus in quarto, ut ajunt, voluminibus constans, hoc ipso anno, quod ad volumen primum pertinet, typis Lucæ vulgatum est hoc titulo: *Lucerna Prophetica, sive Oracula Prophetarum, quibus omnis disciplina illustratur &c.* Volumen hoc Lectiones numero viginti quatuor

com-

comprehendit, quod cum sit in manibus omnium, ut singuli de illius æstimatione ac usu facilè queant judicium ferre, ne longius hæc nostra vagetur Oratio, a pluribus adnotandis supersedebimus, illudque dumtaxat affirmabimus, de hoc Opere deque Auctore egregio id planè dici posse, quod legitur Ecclesiastici XXXIX. *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit.*

Liber hic magnum apud literatos Viros desiderium accenderat alterum ejus Operis, quod promittebatur, Volumen invisendi. At Roboredus difficilioribus eo tempore, & gravioris ponderis negotiis districtus, non statim Literatorum votis satisfacere valuit, nec suam quod vehementer optabat, fidem solvere. Opusculum tamen interea vulgavit in cujusdam Viri Ecclesiastici defensionem, quo moralem & Canonicam controversiam quandam, quæ magno tunc animorum æstu agitabatur, dirimere sategit, illudque sub titulo: *Modesta Venatio defensa*, & sub nomine anagrammatico *Livii Bordoeri*, *Julii* nempe *Roboredi* Florentiæ publici juris fecit.

Alte-

Alterum ergo Volumen *Lucernæ Prophetica* lucem non aspexit ante annum MDCCXXI. quo prodiit Florentiæ ex Typographia Nestenus eleganti Cosmi III. Magni Ducis ornatum Imagine, & hac epigraphe designatum: *Dissertationes in Isaiam Prophetam, sive Lucernæ Propheticæ Pars altera Auctore P. Magistro Julio Antonio Roboredo Lusitano Ordinis Servorum B. M. V. Exprovinciali, in Florentina Universitate Sacræ Scripturæ & Controversiarum Lectore, Equestris Ordinis Hierosolymitani Theologo, Sancti Officii Consultore: Sacræ Majestatis Joannis V. Portugalliæ & Algarbiæ Regis &c. & Nationis Lusitanæ apud Regiam Etruriæ Aulam a Negotiis*. Postrema quæ hîc legitur Dissertatio methodum tradit ad studia scientiarum rectè ac utiliter instituenda; ad quæ peritiam Linguarum Græcæ, Ebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ partim necessariam esse, partim plurimum facere ratiocinationibus & exemplis apertissimè ostendit. Illam verò a Lusitaniæ Rege Legationem ipsi conlatam existimationem maximam, maximumque Roboredo nomen tum apud nostrates, tum apud exteros

cor-

conciliasse probè perspicitis, Amplissimi Patres, præcipuè cum per annos plures quoadusque vixit ea dignitate potitus sit, eamque ob quædam inter Regem & Romanam Curiam oborta dissidia, apud reliquos etiam Italiæ Principes explicaverit. At hæc dignitas utcunque eximia in detrimentum Scientiarum versa est, nam commodum abstulit Roboredo in literaria palæstra diutius sese exercendi, eumque a cæteris quas meditabatur lucubrationibus edendis cohibuit (10).

Verum hæc nova negotia Virum benemerentissimum cohibere nequiverunt, ne huic Universitati quam adamabat summopere, prodesset quantum valebat. Quin anno MDCCXXIV. Mense Octobri iterum sibi conlatam Decanatus dignitatem non solum libenter accepit, sed & anno sequenti idem officium communi suffragio tertium præter consuetudinem illi demandatum pro singulari sua erga Collegium observantia & benevolentia gratum habuit. Id verò peculiari Patrum dexteritate ac prudentia factum fuisse censendum est, qui optimè noverant ex hac electione uberes fructus Colle-

le-

legium nostrum ob summam Viri clarissimi auctoritatem fore collecturum. Atque spem eos minimè fefellisse, Collegii Tabularium ad ea tempora testis est locupletissimus. Edocemur enim ex illo, Roboredum, si antehac semper Collegio profuit, hac sua Præfectura quammaximè profuisse. Nam licet jam ætate ingravescente, sexagenarius enim erat, nil intentatum reliquit, quo Collegium & Viris præstantissimis, & præclaris ornamentis amplificaret. Tunc enim peculiares nobis a Sede Apostolica Indulgentias impetravit, inter quas eminent Plenariæ illæ & perpetuæ, quibus in duabus his Celebritatibus fruimur. Sed & Galerum, seu Pileum Protonotariorum Apostolicorum, Collegii hujus decoramentum insigne, singulari privilegio a Benedicto XIII. Pontifice Maximo sua opera nobis consecutus est; quo solo beneficio gratissimam totius Collegii quoadusque superérit recordationem nemo erit adeo immemor, qui tanto Viro contendere velit.

Quid verò de Viris illustribus memorabo, quibus in hoc biennio sui regiminis Roboredus Universitatem nostram ditavit, locupletavit, adau-

adauxit? Ut enim nostrates prætermittam numero & functis dignitatibus præstantissimos, reticere non debeo nobilissimos Lusitanos *Petrum de la Motta y Sylva* Doctorem Eboracensem & Conimbricensem ac Lusitaniæ Regis apud Romanam Sedem Legatum & Oratorem, atque *Josephum Pereyram de la Cerda* Eboracensem Theologum & Episcopum Tavirensem ad amplissimam Cardinalatus dignitatem postea evectum, qui ambo, Roboredo adnitente (erat enim tunc res nova & insolita) Collegio nostro nomen dare voluerunt. At illud præclarum prorsus, Ornatissimi Patres, ac singulari memoria dignissimum, quod officiis potissimum Roboredi factum sit, ut Benedictus XIII. summi jam Pontificatus culmine fulgens, supremæ, ut ita dicam, suæ Amplitudinis ac Potestatis oblitus ad peculiarem suum erga Collegium favorem ostendendum, eidem uti Collegam nostrum se mandaverit adscribendum & connumerandum. O Roboredi in hac Universitate ornanda, amplificanda, extollenda studium ardentissimum & invicta sollicitudo! (11)

 Sed

Sed hæc & alia quamplurima quæ a Roboredo in hanc Universitatem nostram manaverant beneficia, etiamsi amplissima sint, & omnium commendatione recolenda, inexplebili tamen desiderio suo non plenè adhuc satisfecerant. Plura erant, eaque eximia, quæ Collegio impetrare privilegia meditabatur, ut Cerracchinius testis coævus & oculatus ac perpetuus Universitatis Cancellarius diligentissimus fidem facit. Ast diuturna infirmitate correptus, pectoris quippe hydrope laborare cœperat, plenus Religione ac in remuneratorem Deum fiducia & spe ex hac vita demigravit XXVI. Septembris, Anno MDCCXXVIII. ætatis suæ sexagesimo tertio nondum exacto, Regiam Aulam cui maximè acceptus erat, Urbem totam, quæ singulari illum obsequio prosequebatur, Religiosorum sodalium Cœtum, qui præcipuum suum ornamentum amittebat, universum denique Collegium hoc de quo tantopere benemeritus fuerat in summo dolore ac mœstitia relinquens, lugentibus cunctis quod Virum amisissent non facile reparandum. (12)

Vir

Vir erat Roboredus honesta facie & aspectu decoro, ut exhibet illius imago in numismate maximi moduli eo tempore excuso (13), at virtutibus & dotibus animi erat longè præstantior. Cum egregia quippe indole creverat secum Sapientia, qua singulis a teneris annis prælucebat. Hinc Pietas in Deum semper in eo pura & integra, & erga Sanctos Cœlites devotio religiosa, & filialis affectus flagrabat. Quantum erat in scientiis, maximè, theologicis, excolendis & exornandis sollicitus, tantum ab immoderata opinandi licentia & a profanis vocum novitatibus abhorrebat. Modestiæ, prudentiæ, ac regularis observationis, quantum ipsi per publica munia licebat, fuerat studiosissimus. Beneficus erga omnes pluribus sua liberalitate & auctoritate profuit, eratque talis propositi ac indolis, ut si negatum illi erat cuicumque benefacere, caveret sedulò, ne cuiquam noceret. Quot autem suis consiliis adjuverit, quotque suis exemplis ac doctrinis erudierit, non facilè posset oratione comprehendi. Tanta verò erat ornatus urbanitate morumque elegantia, ut licet distinctis honoribus & fa-

favore summorum Principum cumulatus, facilis semper erga omnes & humanissimus se haberet. Sed ne plura de moribus addamus illius honestissimis, libeat adire testimonium Joannis Baptistæ Fagiolii, qui in suis impressis Carminibus ad eum scribens ut gratiam quandam impetraret, ita solita sua festivitate illius integritatem laudat, ut affirmet, quod si fortè contingeret ut sibi fidem falleret, id veluti rem prorsus mirandam haberet, neque cuiquam alteri postea crederet. (14)

Hæc sunt quæ de hoc præstantissimo Viro rudi stilo & agresti minerva delibavi. Oratorem quidem numeris omnibus absolutum tantæ virtutes, tantaque eximia merita postulabant; at ex paucis quæ Vestræ humanitati considerande exhibui, quæque decerpsi ut meo muneri satisfacerem, spero fore, Patres Amplissimi, ut non inviti in sententiam quam proposueram concedatis. Si enim quæ sive in publica commoda, sive ad Collegii hujus decus & incrementum splendidè ab Eo gesta sunt vel leviter perpenderimus, non dubito, quin cum summis Viris qui Collegium nostrum orna-

ornarunt, deque eo benemeriti sunt, ita comparabimus, ut illum nemini secundum censuerimus esse habendum. (15) Quare mihi liceat Orationem claudere his Cornelii Taciti verbis, quibus in extremo *Vitæ Cnæi Julii Agricolæ* usus est: *Quidquid ex* Julio Roboredo *amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios & ignobiles, oblivio obruet: Julius, posteritati narratus & traditus, superstes erit.*

NOTÆ

N O T Æ

(1) Est Lex Collegii ut in solemnibus Inferiis quæ celebrantur quotannis pro defunctis Doctoribus Universitatis, Oratio habeatur de laudibus alicujus ex Collegis illustrioribus, qui elapso tempore floruerunt; vel ut Theses Theologicæ publicè defendantur.

(2) Hoc appellatur Cognomine Roboredus in Brevi eidem misso ab Innocentio XI. sub die 17. Augusti 1680. quo ipsi facultas datur Religiosum habitum induendi ante annum ætatis XV. nondum completum. Ita enim se habet inscriptio: *Dilecto Filio Antonio Roboredo el Vasconcellos Ulixbonen.*
Extat hoc Monumentum Florentiæ in Archivio Conventus D. Annunciatæ (Fil. PP Discr. ad hunc an.) Sed & Cognomen hoc habetur in Opusculo infra recensendo. Ipsius autem patris nomen legitur in libello suæ Professionis, in eodem Archivio.

(3) Vide Angeli Fabronii Historiæ Academiæ Pisanæ Volumen III. pag. 296. Idipsum habetur ex Commentariis Conventus D. Annunt. Lib. F. p. 683. Et ex Historia MS. Religionis Serv. M. Auctore Placido M. Bonfrizieri.

De Jul. autem Arrighetto præter Fabron. l. c. videndus Aloysius Bentivegni (nunc Generalis Ord. Serv. Mariæ): *Elogio di Giulio Arrighetti Fior. ec. Bologna nella Stamp. del Sassi* (1783.) in 4.

(4)

(4) Jo. Franciscus Poggius deinde Generalis Ord. Serv. Mariæ, ac postea Episcopus Miniatensis, de quo præter Annales Ord. videri potest Ang. Fabronius in Hist. Academiæ Pisanæ Vol. III. p. 97. & Placidus M. Bonfrizieri Ordinis Annalista, & plurium librorum Scriptor. De Julio autem Arrighetto videndi idem Annales, & Fabronius l. c. pag. 96. Hæc verò habet Bonfrizerius in dicta MS. Historia de primo suo cum Roboredo congressu, breve illius elogium scribens: *sunt jam elapsi quinquaginta anni, ex quo ego ipse Roboredum puerum adhuc duodenum vidi ex Ulyssipone adventantem Pisas una cum D. Antonio Lopez ejus consobrino subtilissimo Jureconsulto, a Cosmo III. ad illam Universitatem evocato cum stipendio annuo 400. florenorum, ut Cathedram Ordinariam Jurisprudentiæ conscenderet.*

Et in Historia Ordinis & ipsa inedita, ac italica lingua exarata, quæ extat in Biblioth. dicti Conv. D. Annunciatæ, inquit: *Essendo venuto in Italia da giovanetto col Dott. Lopez suo Cugino, chiamato dal Granduca Cosimo III. &c.*

(5) Quæ hîc & deinceps narrantur ex dicti Conventus Commentariis habentur.

(6) Consulatur Fabronius Hist. Acad. Pisanæ Vol. III. p. 100.

(7) De Aloysio Garbio vide ibidem. In ejus Funere Orationem habuit Roboredus, quæ impressa legitur Tomo III. Annalium Ordinis Serv. B. M. V.

in

in principio. Sed & plurium Doctorum funera recitatis Elogiis honestavit Robor dus, ut dicta Commentaria recensent, & Lucas Joseph Cerracchinius testatur in Opere: *Fasti Teologali, ovvero Notizie istoriche del Collegio de' Teologi della sacra Università Fiorentina*. Firenze Moucke 1738. in 4. ubi sæpe Roboredi nostri laudes occurrunt, cæterorumque Universitatis Theologorum Elogia diligenter commemorantur.

(8) Placet hoc Diploma ex enunciato D. Annunt. Archivio integrum hîc exscribere:

„ Francesco Maria Cardinal de' Medici
„ de' Principi di Toscana ec.

„ Considerando Noi l' ottimo odore che va
„ spargendo delle sue virtù il P. Maestro F. Giulio
„ Antonio Maria Roboredo Servita, e con quanto
„ applauso egli lo dimostri nella sua Religione, e
„ particolarmente in questa Università, dov' egli
„ in qualità di pubblico Lettore sciogliè con tanta
„ chiarezza e solidità di Dottrina i nodi più diffi-
„ cili delle Scienze Teologiche, abbiamo creduto
„ di dover rendere un atto di giustizia al suo bello
„ spirto ed alla nobil condizione della sua nascita.
„ Che però ci siamo risoluti di valerci di lui per
„ nostro Teologo, acciocchè con questa marca di
„ onore apparisca la stima che facciamo della ma-
„ turità del suo senno, e de' suoi talenti; ed in

vir-

„ virtù di questa nostra lettera patente comandia-
„ mo a tutti di nostra Corte, che abbiano per lui
„ quel rispetto che si deve ad un simil Posto; Vo-
„ lendo noi che goda di tutti i privilegj, preemi-
„ nenze e distinzioni che porta seco questo grado,
„ pregando eziandio ad usargli ogni cortese dimos-
„ trazione tutti coloro alle mani de' quali perverrà
„ la presente, la quale sarà sottoscritta di nostra
„ mano, impressa col nostro sigillo, e contrasse-
„ gnata dal nostro Segretario.

„ Data in Pisa li 4. Gennaio 1691. ab Incarnat.
„ Il Card. Medici.
„ Paolo Antonio Conti.

(9) Giornale de' Letterati d' Italia. Venezia 1715. Tomo XXII. pag. 448. T. XXIV. pag. 397. T. XXX. p. 393. T. XXXIII. Parte II. p. 380.

(10) Modò Libri a Roboredo editi ordine sunt recensendi.

I. *Theses Theologicæ quas publicè propugnandas exhibet & nuncupat Illustrissimis Dominis Vexillifero & Prioribus inclytæ Civitatis Tipherni Fr. Julius Ant. M. Roboredo in Comitiis Provincialibus Provinciæ Romanæ Ord. Serv. B. M. V. (Disputabuntur publicè Tipherni in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum &c. Mense Maii anno* 1689. *Dabitur omnibus arguendi locus.) Florentiæ ex Typogr. Sereniss. Magni Ducis Etruriæ* 1689. In fol. ex paginis 8.

In

In hujus Opusculi Dedicatoria Epistola se vocat Roboredus *in Conventu SS. Annuntiatæ de Florentia studii Magistrum*.

II. *Idea Theologica Dogmatica, Historica, Scholastica, Moralis, & Canonica quinque capitibus expressa . . . a F. Julio Ant. Maria Roboredo Servita Sereniss. & Reverendiss. Cardinalis Francisci Mariæ Medices Theologo, Pisis Sacræ Theol. Publ. Professore, S. Officii Consult. ac Florentinæ Universitatis Decano. Florentiæ Typis Petri Matini* 1692. in 12. Paginis constat numeratis 277. præter Dedicatoriam Sereniss. Principi Jo. Gastonio ab Etruria.

III. *Conclusiones Dogmaticæ, Historicæ, Canonicæ, Morales, Criticæ, Politicæ, Oeconomicæ, quas dirigente & exponente Adm. R. P. M Julio Antonio Roboredo Vasconcellos Ord. Serv. B. M. V. in Univ. Pisana Pub. Theologiæ Professore &c. Adm. R. P. M. Josepho Mauritio Cattaneo Ord. Carmelit. Congr. Mant. . . . S. Theol. Professori & Univ. Florentinæ Doctori Collegiato Fr. Innocentius Rossi Florentinus ejusd. Ord. Serv. Romæ in Coll egio Henrici Baccalaureus Collegialis D. D. D. Pistorii Typis Stephani Gatti anno* 1701. *in* 4. *ex pag.* 18.

De Cattaneo & Rossio videndus Lucas Jos. Cerracchinius *Fasti Teologali* pag. 622.

IV. *Dissertationes ad Præcepta Primæ Tabulæ &c. Regiæ Celsitudini Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis dicata a P. M. Julio Antonio Roboredo Ord. Serv.*

Serv. B. M.V. in Univ Florentina Sacræ Scripturæ & Controversiarum Professore. Florentiæ 1715 *Typ. Reg. Celsitudinis. Apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi* in 4. Constat foliis numeratis 427. præter Præfationes & Indicem dissertationum & Capitum.

V. *Lucerna Prophetica, sive Oracula Prophetarum, quibus omnis disciplina illustratur . . . a Patre Magistro Julio Antonio Maria Roboredo Ord. Serv. &c Lucæ* 1715. *ad instantiam Dominici Ambrosii Verdi* in 4. Ex foliis 351. præter Præf.

VI. *Dissertationes in Isaiam Prophetam, sive Lucernæ Propheticæ Pars Altera ... Auctore P. Mag. Julio Antonio Maria Roboredo Lusitano Ord. Serv. B. M V. Exprovinciali. In Florentina Universitate S. Scripturæ & Controversiarum Lectore. Equestris Ordinis Hierosolymitani Theologo. Sancti Officii Consultore. Sac. M Joannis V. Portugalliæ atque Algarbiæ Regis &c & Nationis Lusitanæ apud Regiam Etruriæ Aulam a Negotiis. Florentiæ* 1721. *Ex Typographia Michaelis Nestenus* in 4. Constat paginis 285. præt. Præfationem.

VII. *Modesta Venatio defensa* (sub nomine anagrammatico *Livii Bordoeri*) . *Florentiæ* 1718. *Typis Antonii Mariæ Albizzini* in 12. Ex foliis 26.

VIII. *Oratio Funebris in morte P. Theologi Garbii*. Extat initio T. III. *Annalium Ord. Servorum B. M. V. a Garbio & Bonfrizerio editi. Lucæ* 1725. in fol.

IX.

IX. *Ecloga duæ in obitu Francisci Mariæ Medici*. Ita notantur ab Ang. Fabronio *Historia Academiæ Pisanæ* Tomo Tertio.

Quædam ex his Operibus in Isaiam Proph. referuntur a Jac. Le Long in *Bibliotheca Sacra* Tomo II. pag. 931. Editionis Parisien. an. 1723. in fol.

De ipsius ineditis lucubrationibus non est cur loquamur; præter enim schedas quasdam, quæ in Bibliotheca Conventus D. Annunciatæ asservantur, nihil aliud occurrit; sed scripta omnia post ejus obitum reperta credendum est intercepta fuisse & ad Archivia Aulæ Regis Lusitaniæ missa, ne quid eorum, quæ ad secreta illius Aulæ pertinebant, in publicam notitiam prodiret. Hinc invenimus, Regem pro expensis in Roboredi funere curando aureos centum Monasterio solvisse.

Cerracchinius tamen refert Latinas Orationes nonnullas fuisse repertas. *Fasti Teologali* p. 595.

(11) Ad hæc ornamenta Collegio procuranda utebatur Roboredus opera Hieronymi M. Allegri Consodalis sui & Episcopi Calliensis, ac Ejusdem Collegii Doctoris, qui singulari Summi Pontificis favore fruebatur.

(12) Hæc habet Bonfrizerius in Historia Ordinis Serv. Manuscripta italico idiomate, ad annum 1728. *Fu oppresso nell' età di anni 63. da idropisia pettorale, e se ne passò all' altra vita compianto da tutta la Nobiltà Fiorentina, e onorato dall' Università dei Teologi con Mortorio speciale &c.*

In Historia verò MS. latina ait Bonfrizerius: *In summa fuit existimatione nedum apud Proceres omnes, sed etiam apud Principes viros usque ad mortem quam obiit hoc anno 1728. hora noctis quinta, cujus funus extraordinaria pompa paratum lacrymis associarunt omnes fere Universitatis Theologi, solemnique processione Cadaver ipsius per totam Ecclesiæ nostræ plateam prosecuti sunt.* In Commentariis præterea Conventus refertur, Regiam Celsitudinem Archiatrum suum ad Roboredum infirmum curandum misisse, eidemque illius salutem vehementer commendasse. Narrant etiam idem Bonfrizerius, & Cerracchinius in ejus Exequiis P. Mag. Henricum Verzellium Servitam & Collegii Doctorem Orationem funebrem recitasse, eamque typis impressam Regi Lusitaniæ misisse, quam tamen, licet diligenter quæsiverim, adhuc mihi videre non contigit.

(13) Refertur hoc Numisma in Museo Mazzuchelliano Tomo II. Tab. CLVI. quod numisma etiam in præfata Bibliotheca D. Annunciatæ asservatur.

(14) Non pigebit hîc ipsius Poetæ verba legere quæ habentur in Opere = *Rime piacevoli di Gio. Batista Fagioli Fiorentino Parte III. In Firenze per Francesco Moucke* 1732. in 4. ubi pag. 278. hæc habentur (scripta circa annum 1725.)

Al

Al Reverendiss. P. Maestro Giulio Ant. Roborvedo Portughese dell' Ord. dei Servi di M. V., e Decano della Sacra Università de' Teol. di Firenze.

CAPITOLO XXX.

Padre Reverendissimo informato
Vorrei che Voi restaste, com' io sono
In un imbroglio grande smisurato . . . . . .

In fine verò hæc sequuntur.

Or l' amicizia antica che non è
Un motivo anche questo forte in modo
Da sconvolgere un uom da capo a piè?
E un Uomo come Voi sì grave e sodo,
Fedele, Amico, e Galantuom davvero,
Non di quei, ch' usan or, da porre in frodo.
Ma se Voi mi falliste, io già pensiero
Farei di non più credere a nessuno
Che fosse mai veridico e sincero.
Entrerei, Dio lo sà, nell' un via uno,
Griderei: anche questa diavol fallo!
Vorrei un caso tal contare a ognuno,
Scriverlo infino al Re di Portogallo.

(15) Plures sunt qui de Julio Ant. M. Roboredo cum laude scripserunt, præter enim *Annales Ordinis* Tomo III. sup. citato, & Historias Placidi Bonfrizerii latinam, & italicam, adhuc ineditas, nec non Commentarios Conventus scriptos a P. Constan-

tino

tino Baccionio Archivista & Collegii Florentini Theologo, adhuc illius laudes celebrarunt:

I. Henricus Verzellius *Oratio Funebris in obitu Jul. Ant. Roboredi*. Florentiæ Typis Nestenus & Moucke 1728. in 4. ut habet Cerracchinius *in Fastis* pag. 610.

II. Luca Giuseppe Cerracchini: *Fasti Teologali, ovvero Notizie istoriche del Collegio dei Teologi della S. Università Fiorentina*. Firenze per Franc. Moucke 1738. in 4. pagg. 594. 667. 669. 671.-72. 680. & alibi.

III. Amadeus Marckel: *Speculum Virtutum & scientiæ, seu Viri illustres Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis*. Norimbergæ & Viennæ apud Jo. Adamum Schmidt 1748. in 4. pag. 202.

IV. Petrus Ant. de Comitibus Gaetani: *Museum Mazzuchellianum*. Tomo II. Venetiis Typis Ant. Zatta 1763. in fol. pag. 225.

V. Angelus Fabronius: *Historiæ Academiæ Pisanæ Vol. III.* Pisis 1795. in 4. pag. 100.

VI. *Giornale de' Letterati d' Italia*. *Venez.* 1715. *e seguenti in* 12. In Tomis supra relatis nota n. 9